UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni Bredenbachij S. Th. D.||

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

16. De horrenda quadam dæmonis voce in die sacra Pentecostes, & liberalitate Henrici III. Imper. in pauperes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65002

Visual Library

na excitauit ſemina, cõtinuò admonitionum fluxu ea rigans.

IOannes Nauclerus Chronicor. colum 3. generation. 36. de horrenda quadam dæmonis voce in die ſacro Pentecoſtes, & liberalitate Henrici III. Imperat. in pauperes.

CAP. XVI.

HEnrici III. Impe. fuit natura iucundus, hominibus affabilis, coram omnibus humilis, hoſtibus terribilis, pauperibus pius & largus. Hic cùm aliquando feſtum Pentecoſtes apud Moguntiam celebraret, diabolo ſuadente inter famulos Archiepiſcopi & famulos Abbatis Fuldenſis contentione ſuborta de collocatione, poſt verbum deuentum eſt ad verbera, ex quo Eccleſiæ pauimentum cruore repletur, ſed Epiſcopis & alijs conuolantibus pax inter diſſidentes reformata eſt, templum purgatum, atq; cum multa deuotione Miſſa celebrata eſt, & cum ad illum verſum Sequentiæ ventum eſt, Hunc diem glorioſum fecit, vox ab aëre lapſa eſt, dicens: Hunc diem bellicoſum ego feci. Quo audito rigentibus omnibus, imperator diligenter intendens lætitiam diaboli: Tu, inquit, omnis malitiæ inuentor & incentor, diem bellicoſum & arrogantibus luctuoſum feciſti: ſed nos per DEI gratiam, qui illum glorioſum fecit, pauperibus & indigentibus gratioſum faciemus. Et mox reincepta Sequentia, ſolemni ploratu gratiam Dei

inuo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inuocabant, completaq; cum deuotione Miſſa, omnibus pauperibus per præconem vocatis, omnia precioſa cibaria, quæ ſibi & curialibus præparata erant, in vſus illorum conſumpſit, ipſeq; pius Imperator, cum cæteris prælatis ac miniſtris, proprijs manibus illis miniſtrauit.

Theodoretus lib.1.cap.18 Eccleſiaſt.hiſtor. De S. Helenæ Imperatricis in religioſas virgines pietate & humili miniſterio.

CAP. XVII.

ILluſtriſſima & maxima digna admiratione Imperatrix Helena mulieres, quæ toto vitæ tempore virginitatem excolebant, primum omnes in vnum congregari, & ſedibus præparatis accumbere iuſſit, deinde illa ipſa ancillæ munus exſequi, apponere cibaria, & gutturnium cum malluuio adferre, aquam denique earum manibus, dum lauant, miniſtrare non dedignata eſt.

Ioannes Nauclerus hiſtoricus generation. 36. De Leonis IX. Pontif. Max. in pauperes pietate, & miraculo circa leproſum patrato.

CAP. XVIII.

LEo iſte Pontif. vir fuit pietate, innocentia, benignitate, gratia, hoſpitalitate adeo inſignis, vt domus eius peregrinis & pauperibus ſemper pateret. Nam cū ſemel ante fores ſuas leproſum inueniſſet, eumq; præ miſericordia, collocari in lecto ſuo mandaſſet, a-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN